

CAPUT IV.

Ante pubertatis annos Casino discedit Thomas, a parentibus de consilio Abbatis revocatus. Neapolim mittitur ad scholas seculares. Eiusdem familiaritas, & consuetudo cum Fratibus Ordinis Predicatorum.

I. Rasmus Gattula, qui loco citato constituerat, natum esse Thomam initio saltem anni 1225. ante diem septimum Martii, ipsumque anno 1230. pro illorum temporum more, puerum quinquennem, Monachum Casinensem effectum; egressum ejus & Cœnobio Casinensi ad annum Christi 1239. ac ætatis Thomæ quartumdecimum expleturn referat, causamque egressionis putat Frederici II. Imperatoris violentiam. Verba sunt: „ Illud quidem credimus, Sanctum Thomam Neapolim anno 1239. confedisse, ubi reliquis Monachis in exilium actum violentia Federici Imperatoris, de quo hæc ait Richardus a S. Germano (ad eundem annum:) *Mense Aprilis Monasterium Casinense, Imperatore mandante, servientibus & aliis ad custodiam necessarii communiter, quibusdam Monachis ex eo exclisus &c.* Et inferius: *Eodem Mense Junii iterum alii, qui remanserant, Monachi de Monasterio excluduntur, quibus simul cum primis exclusis moram apud Vallem-luci provisum est, paucis admodum in Monasterio remanentibus.* Pauloque post: *Eodem Julii Mense tertia fit exclusio Monachorum de Monasterio Casinensi, quorum quidam apud Vallem-luci, quidam apud S. Petrum Monasterii, & quidam moram facere in parentum domibus elegerunt: & in ipso Monasterio non nisi octo tantum Monachi ad celebrandum in eo divina officia remanserunt &c.* Ante id certe tempus nulla iusta causa Sancto puero fuerat resiliendi a parentum oblatione iurejurando firmata, nam eo tempore redire ad sæculum poterat quatuordecim jam annorum pubes. Ea tamen ætate, fuisse ab eodem exacta apud Casinates studia Grammaticæ, Logicæ, Philosophiæ, testatur Ptolomæus Lucensis.

Longe diversam chronographiam statuit Disquisitor: sed in eo convenit, quod summum controversiæ caput est. Thomam contendit anno 1220. natum, anno 1225. oblatum Casini a parentibus Deo, anno 1235. post emissam Monasticam professionem missum Neapolim anno ætatis ejus quindodecimo: egressumque Casino cum cæteris Monachis anno 1239. ætatis decimonono. Quæ verba ejus sunt capite III. num. 5. refero: „ Nec facile concesserim ego, Thomam decennem, ut vulgo dicitur, e Monte Casino Neapolim ad altiora studia tendidisse: sed ætate aliquanto proventiorem ac puberem, imo jam expresse solemniterque professum; cum ille in Monte Casino, quo puerulus missus fuerat, in *logicalibus, & naturalibus disciplinis optime proficisse* dicatur apud Ptolomæum Lucensem. Quis enim tantus in decenni puero profectus esse potuisset? &c.

Hæc pro genio adferentes, Gattulam, & Disquisitorem, paucis verbis, at luculentissimis refellit Guillelmus de Tocco in Thomæ Vita capite 1. *Abbas autem predicti Monasterii providus, iniquis, cum adverteret in puero tam certa & matura futura perfectionis indicia, & clara jam prænuntiata semina future segetis Scripturarum; advocato Domino Landulpho, patre predicti pueri, provide ei consuluit, ut puer mitteretur Neapolim ad studendum; ubi studens inciperet addiscere, quæ Deus tot indicibus inciperat demonstrare. Unde puer de utrius-*

que parentis consilio Neapolim mittitur, ut sub Magistri Martini in Grammaticalibus & Logicalibus, & Magistri Petri de Hybernia studiis in Naturalibus edoceretur: in quorum scholis tam luculenti cepit esse ingenii & perspicacis intelligentiæ, ut &c. Quo loco de violentia a Frederico Imperatore inlata Monachis Casinensibus, deque Monachorum Casino ejectione mentio nulla, nullum vestigium: imo ratio tota Thomæ egressus est eo sancto loco adducitur ea, quod cum in puero mirabilem precocem in scientiis profectum adverteret Abbas, consilio suo apud parentes ejus effecit, ut mitteretur Neapolim, ibidem in scholis diligentius pro ingenii acuminem, feracitate, ac velocitate excollendus.

Nondum vero pubem tunc adeptum esse Aquinatem, satis indicant ac evincunt animadversa in puero futuræ perfectionis indicia, data Landulpho patri predicti pueri consilia ut mitteretur Neapolim, eisdemque pueri Neapolitanum iter. An quindecim annorum juvenem, professumque Monachum toties puerum appellasset Guillelmus de Tocco? Sed hunc Abbatem, sub quo Casini moribus & litteris informabatur Thomas, fuisse Landulphum Senebaldu, temporum ratio postulat; cum illum narret Richardus de Sancto Germano in Chronico, Abbatem Casinensium prefectorum suscepisse anno 1227. mortemque obiisse anno 1236. Mense Julii in Fests Sanctorum Nazarii & Celsi. Hinc vero conjicere par est, Landulphum Abbatem, qui Thomam puerulum exceperat Casini litteris & moribus imbuendum, illum ipsum fuisse, qui cum nobilissimum Thomæ ingenium advertisset, parentibus consilium dederit, ut ipse Neapolim mitteretur. Missus ergo fuerit ille anno 1225. aut ineunte anno 1226. quo natus erat ipse decem vel undecim annos; nam ejus natalitia illiganda esse cum anno æræ Christianæ 1225. aut insequente, infra dicendum est. At in Monte Casino, inquit Disquisitor, antequam inde discederet, in *Logicalibus & naturalibus disciplinis optime proficisse* dicitur apud Ptolomæum Lucensem: *quis vero tantus in decenni puero profectus esse potuisset, quæ tanta Philosophicarum verum peritia, ut pares ejus institutioni procurande magistros ac præceptores Casini non haberet? Ptolomæi scilicet verba plus nimio exaggerat ille. Idem Auditor, & Guillelmus de Tocco in incem conferendi sunt, ut legitimus sensus habeatur. Ait iste, puerum Thomam missum esse Neapolim, ut *grammaticalia & logicalia* addiceret sub disciplina Magistri Martini, & *naturalia* seu Philosophica sub Magistro Petro de Hybernia. Unde Ptolomæus Lucensis, Thomæ Casini degentis profectum narans, intelligendus est non tam de *optimo profectu in logicalibus & naturalibus disciplinis*, quæ late patent spectatis; quam potius in primis earundem rudimentis, ut refert Guillelmus. Utriusque Scriptoris inita concordia, vim exerit totam argumentum ex verbis laudati Guillelmi depromptum, quæ Thomam adhuc puerum & impuberem representant, cum ille Casino Neapolim missus est. Ac sane quenam miratio fuisset illa Abbatis Casinensis de profectu Thomæ in scientiis, si pubertatis annos jam non indeptus esset, ac ætatem quindecim annorum attigisset?*

Sed etiam Casino a parentibus revocatum puerum Thomam, verba suadent Guillelmi: *Abbas autem predicti Monasterii providus . . . iniquis, advocato Domino Landulpho patre predicti pueri, provide ei consuluit, ut puer mitteretur Neapolim ad studendum . . . Unde puer de utriusque parentis consilio Neapolim mittitur.* Itaque de puero Thomæ; deque studiis ejus non audeat Abbas pleno jure, ut de Monacho suo, statuere (Jacobi E-

chardi animadversio est:) at Landulphum patrem advocat, monetque ut si filio suo consultum velit, mittat Neapolim, aptiores in ea urbe, quam in Monasterio, præceptores naturum. Neapolim vadit ille, non cum litteris, aut ex præscripto Abbatis; sed *ex consilio*, seu deliberatione, ac imperio parentis utriusque; quin ipsum, ex quo semel Casino egressus est, utpote nihil ad se attinentem, curaverint deinceps Abbas vel Monachi. Hunc planum ac pervium verborum Guillelmi sensum amplector, & adprobo: quæ paullo aliter intelligenda capite II. num. 3. proposueram, ut si Thomas quidem Casini oblatum Deo a parentibus fuerit, juri cedere, si quod in ipsum acquisiverat, voluerit Abbas. Sed hæc agendi ratio in Abbate, si Disquisitorem audis, ad folius urbanitatis officia referenda est.

II. Hinc Monasticas intelligit ille scholas, quas Neapolim adibat Thomas, ac Monachos Præceptores quos audebat. Verba ejus sunt capite III. num. 4. „ *Ecquid queso vetat, puerum Thomam, cucullatum licet ac tonsum, e Monte Casino Neapolim ad altiora studia missum esse, ut & hic Monachus candidatus, sub Monachorum pariter disciplina, suscepta Casini studia prosequeretur? Cum & illic Benedictini Ordinis Monasteria tunc essent, Sancti scilicet Severini, & Sancti Demetrii. quod ultimum juris tunc erat Cœnobii Casinensis . . . Aliunde etiam verisimiliter sit, Martinum illum & Petrum Hieronymum, quos Neapoli præceptores habuisse dicitur Thomas junior, Benedictini Ordinis Monachos existitisse; uti Constantinus Abbas Cajetanus, & Bucellinus in Martyrologio Benedictino contendunt. Imo de hoc ultimo liquet plane: non alius quippe est ille Petrus Hibernus, quam Petrus de Donis, patria Ultoniensis, quæ Hiberniæ regio est; quem ex Casinensis Abbatæ tabulis constat, Monachum S. Severini tunc fuisse. Nomen enim, & patria conveniunt apprime.*

Hæc de re differentem quoque Gattulam audire præstat. „ *Incertum, ait ille, an Neapoli manserit in Monasterio S. Severini Ordinis nostri, vel S. Demetrii, quod Casinatibus suberat. Quamquam probi sancti adolescentis mores suadent, in uno ex his Monasteriis, non in sæcularium domo commoratum. Verisimile etiam est, Neapoli Benedictinos præceptores audivisse: nam anno 1240. (Mense Novembris, apud Richardum de S. Germano) regno exulare compulsi sunt, jussu Frederici secundi, Fratres Ordinis Predicatorum & S. Francisci: atque Neapolitana Academia Erasmus Casinatem Monachum ad docendum ibidem sacram Theologiam per litteras accessit (quas recitat ibidem num. 6.) Ex quo etiam constat, haud studiorum causa missum Neapolim Sanctum Thomam.*

Constat imo, S. Thomam studiorum causa Neapolim missum esse, luculentissimo Guillelmi de Tocco testimonio: *Provide ei consuluit Abbas, iniquis, ut puer mitteretur Neapolim ad studendum . . . Unde puer de utriusque parentis consilio Neapolim mittitur, ubi sub Magistri Martini in Grammaticalibus & Logicalibus, & Magistri Petri de Hybernia studiis in Naturalibus edoceretur.* Ad rem non attinet, Fratres Minores ac Predicatores anno 1240. regno exulare jussu Frederici secundi compulso esse; quamquam Richardus addit loco citato: *non omnes exilio pulsos, duobus tantum relicti, qui sint de Regno nativi, in singulis quibusque illorum domibus, ad custodiam earundem.* Pro incerto demum habet Gattula (quod animadversio dignum est) an Neapoli manserit

Thomas in Monasterio S. Severini Ordinis Benedictini, vel S. Demetrii, quod Casinatibus suberat. Mansisse vero, conjicit ille, conjicit Disquisitor, præjudicio occupati de oblatione Thomæ Casini a parentibus Deo facta, deque Monastica professione voto solemniter ab illo firmata: quæ duo pluribus jam argumentis refutata sunt, ac validioribus deinceps refutabuntur.

Scholas interim, quas Neapoli adibat Thomas, dum perquiro, sæculares illæ occurrunt, quas Fredericus II. Imperator ea in urbe aperuerat, ut bonas litteras aut ereptas, aut jacentes restitueret & excitaret, Thomæ pueri ac adolescentis ætate florentes. De his verba faciens Richardus de S. Germano in Chronico ad annum m. cc. xxiv. scribit: *Imperatore Mense Julio pro reformando studio Neapolitano ubique per Regnum misisse litteras generales: illas fortasse, quæ Libro III. Epistoliarum Petri de Vineis, ejusdem Imperatoris Cancellarii, recensentur numero xi. & sequentibus.* Sunt illæ, quæ *invitat Scholares ad studium Neapolitanum*, in eisque inter alia legitur: *In primis quod in Civitate predicta Doctores & Magistri erunt in qualibet facultate. Scholares autem, undecumque venerint, secure veniant morando, stando, & redeundo, tam in personis quam in rebus nullam sentientes in aliquo lesionem.* Inter facultates prædictas locum etiam habuisse artem grammaticam, colligitur ex epistola num. 13. postea, *Justitiariorum Terre Laboris* significatur, ne occasione edicti imperialis Magistris molestiam inferat, qui per terras jurisdictionis ejus pueros in artis grammaticæ primitiis & rudimentis edocent, altioribus studiis, ac reconditiore artis grammaticæ eruditione Neapolitano studio reservatis. Scribit etiam Richardus de S. Germano ad annum m. cc. xxxiv. *studium idem Neapolitanum, quod elanguere ac pene aruisse videbatur ob difficulta Sacerdotum inter & Imperium oborta, denuo ab Imperatore instaurata.* Verba sunt: *Studium, quod Neapoli per Imperatorem statutum fuerat, quod exiit, turbatione inter Ecclesiam & imperium facta, penitus dissolutum, per Imperatorem Neapoli reformatur.*

In his ergo scholis sese Thomas exercebat Neapoli degens: ad easque ut mitteretur, consilium dedit Cœnobii Casinensis Abbas, ac voluerunt parentes ejus, ut angelicum ingenium, quod in pueritia præmonstraverat, illudque rudimentis artis Grammaticæ, Logicæ, ac Philosophiæ excultum Casini fuerat, altiore penitentioreque hujusmodi artium & facultatum eruditionem in tam celebri Academia assequeretur. Tempora sane conveniunt, cum studium illud Neapolitanum anno 1234. instauraverit Fredericus Imperator, Casinoque Thomas anno insequente vel 1236. revocatus fuerit. Scholæ etiam istas manifeste indicant, quæ narrat Guillelmus de Tocco de juvene Thoma in Scholis Neapolitanis audire. Scribit nempe: *festinum profectum Thomæ in scientiis Magistros & alios in admittationem rapuisse: famam ejus per Scholas volitasse: & quendam Fratrem Ordinis Predicatorum, presati juvenis admirandam scientiam considerantem, de ipsius doctrina & sanctitate visum accepisse.* Quibus ita ferem habuisse evincitur, ut Thomas publicas illas & sæculares adiret scholas; de mirabili propterea ipsius profectu in scientiis invicem verba facerent, qui in eisdem auditoribus erant, ac ipsi etiam Magistri; sicque fama ejus per scholas volitaret; Fratres etiam Predicatores, qui ibidem Sacras Doctrinas tradebant, præclarissimum juvenis ingenium admirari poterint. Bene coherent omnia. Thomam vero si Monachum facias, in privata Monachorum Schola sese exercen-

centem, nihil est horum quod de illo dici queat.

Neque solum scholas hic habeo seculares & publicas, quas adiret Thomas alioribus studiis exornandis, easlemque a prisco Vitæ ejus Scriptore satis indicatas: verum etiam seculares fuisse præceptores ejus, Martinum & Petrum Hibernum, non levi conjectura colligi ex eo potest, quod illos Guillelmus de Tocco titulo duntaxat Magistri exornet; non Fratres, non Monachos appellet. Fratres Minoribus ac Prædicatoribus, qui in Neapolitana Academia Theologica disciplina tradebant, e Regno exulare jussit anno 1240. ad publicum illud Gymnasium invitant Erasmus Monachum Doctores & Scholares litteris datis, quæ Monasticam ejus professionem expriment: *Honestissimo & peritissimo Viro* (inquietans apud Gattulam loco citato) *Magistro Herasmo, Monacho Cassinensi, Theologie professori, Universitatis Doctorum & Scholarium Neapolitani studii salutem &c.*

At conjecturis non hæream ego, qui Magistrum & Doctorem, quo Thomas in Philosophicis disciplinis addiscendis utebatur, nulli videor invenisse; non Petrum de Donis Ultoniensem Benedictini instituti professorem, aut alium quemvis Monachorum, Monachorum privatae scholæ præsidem; sed Petrum de Hibernia, in publicis illis & secularibus a Frederico secundo scholæ institutis Doctorem eximium. Is ille Petrus de Hibernia est, ad quem inter Epistolas Petri de Vineis Libro tertio inscripta legitur decima, *Magistro Petro de Hibernia*. Imperatoris nomine data est, qua constat: illum ad studium Neapolitanam regendum advocatum fuisse, ac plurimum auri unciarum mercede pacta pro summa ejusdem Imperatoris munificentia conductum, Epistolæ verba hæc sunt: *Te igitur, quem antiquæ fidei præscripta sinceritas, & præstita dudum felicitate recordationis Domino Patri nostro grata servitia nobis efficaciter reconveniant; de cuius etiam experta scientia, probitate cognita, & doctrinâ probata, in conspectu nostro jam pluries multorum testimonia clamerunt: ad celebranda communis studii ejusdem festiva solemnia, hilariter propinquissimum invitandum. Fidelitati tue precipiendo mandantes, quatenus de favore & gratia nostra securus, ad Civitatem ipsam ob reverentiam Majestatis nostre, personaliter venturus, accedas. Et ut certam concipias de nostre gratie liberalitate fiduciam, firmiter te tenere volumus, quod in adventu tuo, in signum secundioris auspicii, de valore annuo 12. unciarum auri tibi faciat nostra munificentia provideri. Quid est ergo ultra, ut de Scholis Neapolitanis, quas frequentabat Thomas, deque Magistris ejus queramus? Magister adest Petrus de Hibernia; nomen enim, & patria, & tempora conveniunt apprimè; qui cum in Scholis publicis & secularibus moderator esset, scholas etiam seculares & publicas adesse Thomam compertum est.*

III. Thomæ Neapoli degentis profectum in scientiis attestantem habemus allatis jam verbis Guillelmum de Tocco. Testis accedit Bartholomæus de Capua Logotheta in Processu Canonizationis cap. ix. num. 76. Missus, inquit, ad Neapolitanum studium, in grammaticis & logicis omnibus antecedebat, conferenda & disputanda. Sed christianis etiam, piisque moribus maxime proficiebat: cogitabatque commissum sibi talentum naturalis ingenii (verba sunt laudati Guillelmi) dono gratie spiritus, per transitum ad aliquem Ordinem augmentare. Frequenter utebatur Fratrum Ordinis Prædicatorum consuetudine: quosque præfertim eximios viros Bartholomæus de Capua memorat, Fratrem Joannem de Casatia, qui erat hominem magne auctoritatis, multum familiare dicto Fra-

tri Thomæ; & Fratrem Joannem de S. Juliano, hominem magne vite & humilitatis.

Divina vocationis, qua se pertractum ad Ordinem Prædicatorum sentiebat, conscium reddidit laudatum Fratrem Joannem de S. Juliano: qui & juvenem a Deo sibi destinatum optimis consiliis adjuvit, & ad ingressum prædicti Ordinis mente dispositum inclinavit. Verba sunt Guillelmi de Tocco, quæ verborum Bartholomæi de Capua, dicebatur notorie, inquit, Fratrem Thomam de Aquino receptum fuisse in Ordine Prædicatorum a Fratre Joanne de S. Juliano, legitimum sensum declarant, adolescentem Thomam consiliis ejus ad Ordinem adductum: constat quippe, Fratrem Thomam Agni de Lentino, qui tum Conventus Priorem agebat, eum veste induisse, ut habet Bernardus Guidonis. Quæ demum omnia, si attentiore mente expendantur, norum sit compertumque, hæc ita facile Thomæ juveni convenire potuisse, si Neapoli frocum gestasset, literisque ac scientiis in Benedictino Cœnobio, tanquam Monachus recens professus, operam dedisset.

CAPUT V.

Thomas tum Seculo demum valodixit, cum Fratrum Prædicatorum Ordini nomen dedit. Disquisitionis mala fides, & oscitantia.

I. AD illud piissimi adolescentis Thomæ præclarum facinus, cum Ordinem Prædicatorum amplexus est, jam sermo devenit: quo vestigio in bona luce posito, cuncta nitant omnia fulgentissime, quæ hæcenus enarravimus. Non enim negaverit Disquisitor, si Thomam validissimis argumentis probavero, tum demum seculum reliquisse, cum Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dedit, uno ictu Monachatum ejusdem condidi; eaque omnia cadere ac rueri, quæ narræ de Thomæ cucullato, ac Monastico instituto sacra emissa professione obnoxio, sive Casini sive Neapoli degente.

Sed ita est, degisse Thomam in seculo, donec divina favente gratia, quæ illum Dominicani Ordinis professorem, antequam nasceretur, prænuiciaverat, Frater Prædicator effectus est. Rem testatur disertissime Guillelmus de Tocco, Scriptore vitæ ejus; primo quidem illis verbis. „Metuens prædictus juvenis, quod poterat sibi esse damnable, si commissum ei talentum naturalis ingenii, dono gratie spiritus augmentatum, sub terra velut sudario neglectioris vite absconderet, quod poterat per transitum ad aliquem Ordinem augmentare, ductus est ad Fratrum Prædicatorum Ordinem, diu cordis desiderio affectatum, hæc enim quæso convenirent Casinensi Monacho a multis annis profecto? Cogitat vero Thomas, per transitum ad aliquem Ordinem sibi doctrinæ augmentum parare: igitur factis est indicio, nullum Ordinem hæcenus ingressum ipsum fuisse. Timebat ille, ingenii talentum abscondere sub neglectioris vite statu: igitur Monasticam vitam non erat amplexus. Quis enim credat, humillimum Thomam, si Monastico instituto additus esset, Monasticam vitam existimare potuisse vitam neglectioris? Aut cur timeundum illi fuerat, ut commissum sibi talentum absconderet in Ordine Benedictino, in quo præcellerant tot præclarissimi Viri sanctitate & sapientia præstantes; & ex quo Erasmus Monachum illis pene diebus ad tradendam, publice Theologiam evocaverat Neapolitana Doctorum & Scholarium Universitas? Denique cum Thomæ cordi esset, per transitum ad aliquem Ordinem, otium excutere vite neglectioris; ductusque fuerit ad Ordinem Fratrum Prædicatorum, di-

corais

cordis desiderio affectatum: quis inde non colligat, tum demum seculum reliquisse Thomam, cum inter Fratres Prædicatores, eorum induta veste, coopatus est?

Novum suppeditat ejusdem rei momentum laudatus Guillelmus, qui Thomæ ingressum in Ordinem Prædicatorum cum narraffer, statim hæc subiicit: *De cuius ingressu admirati sunt nobiles civitatis, quod tam nobilibus juvenis parentum domum desereret.* Commentario opus non est, sed animo præjudicis vacuo, ut noverint omnes, quotquot hæc legerint, Thomam secularem vitam egisse Neapoli; ac tum demum parentum domum, & bona omnia quibus ejus familia perillustis & potens abundabat, deseruisse, cum Jesum pauperem sequi maluit in Ordine Prædicatorum, eumque amplexus est. Rem confirmat S. Antoninus Parte III. Chronici Titulo XLIII. capite VII. §. I. inquit, *Capit secum, Thomas, Domino agente, disponere, seculum relinquere, & Ordinem Prædicatorum introire.* Cæcus esto, qui secularem Thomæ statum, antequam Dominicano Ordini nomen daret, hæc verbis describunt non intelligit.

Pergit narrare Guillelmus, motas in Thomam Dominicam vestem indutum persecuciones, captum etiam & in carcerem domesticum intrusum, gravissimas demum a Fratribus inlatas injurias; ac inter alia, dilaniatum ab ipsis habitum prædicti Ordinis Dominicani, ut pro reverendia dilaniatum deponeret, & aliam indueret, qui placeret ei. Quomodo, inquit ego, Monacho a multis annis profecto, qualem fuisse Thomam, cum hæc contigerunt, contendit Disquisitor, facultatem fecisset Frater irati, ut una veste Dominicana deposita, aliam indueret habitum, qui placeret ei? Sed hæc evincunt, secularem fuisse Thomam, donec vestem Dominicam induit: quam subinde ab ipso indutam in frusta conciderunt præ ira Fratres; aliumque habitum, aut Monachalem, aut Ecclesiasticum, aut laicum obtulere, ut uno habitu Prædicatorum excepto, quemcumque mallet, minis & injuriis cedens, tandem adsumeret.

Hæc narranti Guillelmo testis accedit Bartholomæus de Capua, auditus & juratus in Processu Canonizationis capite ix. num. 76. ubi testatur, se inter alia audivisse a F. Joanne de Casatia, & a F. Joanne de S. Juliano, qui cum Thomæ vivente familiaritatem habuerat, & ex quodam communi preloquio, factum esse, ut favore & potentia divi Patris (Laudulphi scilicet) idem Frater Thomas captus, fuerit in Castro paterno detentus. . . . & licet idem suus genitor sibi Monachales, vel Laicales vestes offerret, eas nunquam recipere voluit. Quæ verba secularem Thomæ vitam, antequam Dominicano Ordini adstringeretur, clarissime representant. Quo se ab his expedit modo Disquisitor, referendum est. Ait scilicet capite v. num. 3. „Hinc observamus, parentem ejus Laudulphum Comitem, cum illum e Castro Aqueduntensis ad se adductum, domestico carceri adduxit, & Dominicanas, quas ille recens induerat, vestes in frusta concidit, Monachales induendas obtulisse: quod laudatus supra Bartholomæus de Capua, Regni Siciliae Protonotarius, testis in processu Canonizationis auditus, juramento testatus est. „Ubi animadvertit, solas Monachales vestes ab illo exponi: laicales vero etiam oblatas, ut testatur Logotheta, silentio premi. Hinc sequitur ille, hanc efformare demonstrationem: Non levis est, inquit, suscepti a nobis argumenti probatio, ne dixerim, demonstratio: qua etenim libertate, quo jure Monachales vestes induendas obtulisset pater, si eas nunquam antea filius induisset? At neque demonstratio est, neque probatio etiam levis, Monasticas antea gestasse Tho-

mam vestes, ex quo induendas illas obtulerit Pater. Eas namque cur obtulerit, pater: ut si quas regularis instituti vestes induere Filius vellet, præ Dominicanis eligeret Monachales, quas etiam animo destinaverat eidem, cum ipsum Casinensibus Monachis tradidit moribus & litteris informandum.

At verba rursus Logotheta, si omnia adnotentur, non levem probationem, sed clarissimam demonstrationem suppeditant, non qua Monachatus Thomæ, antequam ad Prædicatorum Ordinem se transferret, ut putat Disquisitor, ulla ratione evincatur, sed qua Monachatus idem proficitur: Thomamque tum demum seculo valodixisse, cum Prædicatorum Ordinem ingressus est, ostendatur. Non solum enim Thomæ in carcere detento Monachales vestes obtulit pater, sed etiam laicales: qua igitur libertate, quo jure laicales vestes induendas obtulisset filio, si antea in seculo non existens, sed Monachus a multis annis profectus, vestem Dominicam induisset?

II. Malam fidem Disquisitionis in afferendis Scriptorum testimoniis quis non admittet? Patet etiam oscitantia ejus, ut miris agam: quem sane oportet, priscos illos Thomæ vitæ scriptores, qui tam clara, tam diferta secularis status, in quo versabatur ille, cum Dominicana Familia adscriptus fuit, testimonia proferant, aut vidisse nunquam, aut oscitante legitisse. Nihilominus sic ille Disquisitionem suam exorditur capite i. num. 1. „Divum Thomam, Scholarum Angelum, antequam Dominicano Prædicatorum Ordini nomen daret, Benedictinum Monachorum institutum apud Casinenses professum esse, ibidemque per aliquot annos Monachum folemibus vocis obstrictum subsistisse; iis certe paradoxum videtur inauditum, qui priscos vitæ ejus Historicos leviter tantum ac defunctis lectionibus. Imo paradoxum inauditum maxime videtur iis, qui diligentissime Thomæ acta a priscis Historicis conscripta expendunt: & quam aliis affigit Disquisitor, ipse eum se prodit incuriæ, maximeque focordie.

Sed ipse sibi repugnans, hac de re fuisse priscos illos Historicos, fateatur capite viii. ubi num. i. difficultati, quæ samitur ex eorum silentio, responderit in hæc verba: „Nihil in Historica concertatione roboris habere abutivum argumentum: quive de Divi Thomæ Monachatu, siluere prisci Scriptores Dominicani, non idcirco negasse, aut commentitium esse suo illo silentio docuisse. „Verum pater quammaxime, priscos Historicos Dominicanos de Monachatu Thomæ nedum non siluisse; sed etiam ea narrasse, quæ illum omnino præstant: quod est eundem apertissime negare. Siluisse ne dicendus est Guillelmus de Tocco, qui refert: tum nolentem Thomam talentum ingenii abscondere sub neglectioris vite statu, quod poterat per transitum ad aliquem Ordinem augmentare, ductum esse ad Fratrum Prædicatorum Ordinem, diu cordis desiderio affectatum; tum nobiles Civitatis de ingressu illius in Ordinem admiratos esse, quod tam nobilibus juvenis parentum domum deseruisse; tum demum germanos Fratres iratos vestem Dominicam recens indutam in frusta concidisse, ut pro reverendia dilaniatum habitum deponeret, & aliam indueret, qui placeret ei? Non siluit, hæc scribens Guillelmus: sed acsi Monachatus Thomæ vel tum ab aliquo fabulatore obtrusus esset, apertissime illum inficiatur. Silere præterea Antoninus, qui narrat: cepisse secum Thomam, Domino agente, disponere, seculum relinquere, & Ordinem Prædicatorum introire? Silere tandem Bartholomæus de Capua, dum juramento testatur, Laudulphum patrem Thomæ,

Thomæ, ut vestem istæ Dominicanam deponeret, ei obtulisse Monachales, vel laicales vestes, quas nunquam contatitissimus adolescens recipere voluit? Si hæc pro silentio, & pro nihilo habenda sunt, libet diem noctem dicere; nihilque erit ab Historicis, licet clare, licet diferte dictum, quod pro non dicto habeatur.

Sed invitos tamen Deos patitur Disquisitor, non ante Dominicanas vestes indutas a Thoma contendit ille, quam exuerit Monachicas, in oblatione de se a parentibus Deo facta Casini primum assumptas, ac deinceps ob Monachicæ professionis votum firmiter strictiori jure retentas. Tabulas Casinenses in argumentum afferunt. Richardus a S. Germano, inquit, Monachus ea ætate Casinensis, cujus Chronici fragmenta laudat sæpe numero Odericus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad sæculum decimumtertium; ejectionem Monachorum suorum referens, dum Fredericus II. Imperator Monasterium in munitionem convertit, paulo ante quam Thomas Aquinas, relicto Casino, Prædicatorum Ordinem adiuvisse creditur; illud inter cætera notat maxime, Monachorum aliquos suis sedibus ejectos ac disturbatos Benedictinum cucullam exuisse. Anno, inquit, 1239. Mense Julii, tertia fit exclusio Monachorum de Monasterio Casinensi; & in ipso Monasterio, non nisi octo tantum Monachi, ad celebrandum in eo divina officia remanserunt, quorum nomina sunt hæc &c. Ejecti autem Cœnobio, alii ad Monasterium Vallem Lucis se receperunt, alii apud consanguineos, alii habitum reliquerunt: non utique facti apostata (ablit a Viris Religiosissimis tantum nefas, quod nec si forte fuisset, Richardus a S. Germano in sui Ordinis dedecus prodidisset), sed in alios ordines convolantes.

Antequam refero argumentum, quod inde Disquisitor exprimit, animadverto: Richardum de S. Germano perperam dici Monachum ea ætate Casinensem: ac mirum esse, editum ejusdem Chronicon a Ferdinando Ughello anno 1647. in Italia Sacra Tomo III. iterumque recusum Tomo X. editionis Venetæ anno 1722. non vidisse Disquisitorem. In Procemio sic ait ipse Chronista: Ego Richardus de S. Germano Notarius. Et infra: Quoniam ergo Regni filius ego sum, qui legem non me causetur detestando, si Regni gesta scribo. Casinensis Monachus ejus vestigium nullo, vix nulla: nec ipsum inter Casinates Monachos recenset Gattula; ipsumque Notarium, non Monachum, appellant Nicolaus Toppius in Bibliotheca Neapolitana, & Guillelmus Cave in Historia litteraria, qui suo ingenio addit, adnotante Muratorio, ipsum fuisse Regis Sicilia Secretarium.

Jam vero sic argumentum efformat Disquisitor: Quidni quæso de Divo Thoma Aquinate, tanto nomine, locutum illic Richardum (cum ait, ex ejectis Monachis alios habitum reliquisset, non utique factos apostatas, sed ad alios religiosos Ordines convolantes) existimemus, quem præ cæteris Casino exclusum oportuit, dum ea Monachorum ejectione ex Frederici Imperatoris jussu facta est, tamquam filium Comitum Aquinatis, quem Cæsar maxime oderat, quod contra ipsum Pontificis partes secutus fuisset? Sed sunt hæc, inquis, meræ conjecturæ, ad arbitrium factæ. Siste Disquisitor: non meras hæc tuas inquit conjecturas esse ad arbitrium factas, sed malam insuper fidem noto Scriptorum loca depravantem. Richardi de S. Germano Chronicon editum prolatum anno 1647. & 1722. apud Ferdinandum Ughellum in Italia Sacra, & anno 1725. apud Muratorium Tomo

VII. Scriptorum Italia, & apud Erasmus Gattula anno 1734. in Accessionibus ad Historiam Abbatie Casinensis Parte II. quibus omnibus in editionibus illa verba, ex quibus argumentum promissis, desiderantur. Alii habitum reliquerunt. Integrum ac genuinum accipe textum: Eodem Mense Julii tertia fit exclusio Monachorum de Monasterio Casinensi; quorum quidam apud Vallem Lucis (Vallem-luci) quidam apud S. Petrum Monasterii, & quidam moram sacra in parentum domibus elegerunt: & in ipso Monasterio, non nisi octo tantum Monachi, ad celebrandum in eo divina officia remanserunt, quorum nomina sunt hæc &c. Jam ergo delenda verba sunt, quæ vel mala fide Disquisitor addidit, vel ab alio adjecta per summam oscitantiam transcripsit, ipso Richardi Chronico nec lecto, nec viso: quæve inde famitur conjectura, tamen ad arbitrium facta, evanescit.

Quæ rursus abit in agras, canente fabulam Disquisitore, cum ait: Thomam præ cæteris Casino exclusum oportuit, dum ea Monachorum ejectione ex Frederici Imperatoris jussu facta est, tamquam filium Comitum Aquinatis, quem Cæsar maxime oderat, quod contra ipsum Pontificis partes secutus fuisset. Verum enimvero Comites Aquini eo anno 1239. & insequente, & anno 1243. quo vestem Dominicanam induit Thomas, ac deinceps ad usque Lugdunense Concilium Œcumenicum anno 1245. celebratum, Frederici partes secutus esse, Historiæ produnt. Richardus de S. Germano ad annum 1239. adnotat: Mense Maii . . . Thomam de Aquino, Accerratum Comitum, vocatum ad Imperatorem in Lombardiam profectum esse. Editione utor quam Gattula correxit & emendavit. Hæc rursus habet ad annum 1240. Mense Junii, Imperator cum exercitu suo, quem de Regno collegerat, venit ad S. Germanum, ubi per sex dies moram protrahens, e vestigio per Aquinum transiit, secum ducens Pandulphum Dominum Aquini, apud insulam Pontis Solerati posuit castra sua. Narrat etiam Guillelmus de Tocco, Thomam recens indutum vestem Dominicanam, captum fuisse a Fratribus germanis, qui erant cum Frederico Imperatore in Castro Aqua-pendentis Tusciae regionis: quæ nempe anno 1243. vel insequente acciderunt. Ac demum ex his Thomæ fratribus, alterum vocat Reginaldum Ptolomæus Lucensis Libro XXII. Hist. Eccl. capite xx. inter Majores in curia Frederici. Luculentissime hæc evincunt, Imperatoris partibus hoc tempore adhæsisse Comites Aquinates. Adnotat vero idem Ptolomæus, prædictum Reginaldum postea ab ipso Imperatore fuisse interfectum: Comitumque de Aquino progenies in parte a Frederico destructam, quia fideles erant Ecclesie: eandemque prævalesse demum tempore Caroli; quæ contingere non poterunt nisi post Concilium Lugdunense anno 1245. celebratum, in quo anathematis fulmine percussus est Imperator. Paucis ergo in Disquisitoris verbis commenta plura putidissima innotebant: quibus superstructa, quænam fuerit conjectura ejus de Monachica veste, quam Thomas tum demum exuerit, cum meliora charismata quærens, Ordinem Prædicatorum ingressus est?

CAPUT VI.

Thomæ Aquinati, jam vestem Dominicanam induito, Casinensem Abbatiam ab Innocentio quarto Summo Pontifice oblatam, referunt Thomas de Cantimprato, & Ptolomæus Lucensis. Hæc narratio diligenter expenditur. Monachus Thomæ iterum proficitur.

I. THoma de Cantimprato, & Ptolomæo Lucensis in testes advocatis, quos sequuntur & exscribit Paulus Langius in Chronico Citizenii ad annum MCLXXIII. & Leander Albertus Libro III. de Viris illustribus, rem singularem plane & observatione dignam refert Disquisitor capite v. de Abbatia Casinensi in gratiam parentum Thomæ Aquinati oblata a Romano Pontifice: indeque Monachatum Thomæ sibi videtur probare & evincere posse: Quid sibi vult, inquit, ea Divi Thomæ Prædicatoribus receniter adjuncti in Abbatem Casinensem electio, si Benedictinus, & quidem expresse professus, reipsa non erat? Addit Pontificum Romanorum decreta, Innocentii III. & Gregorii IX. quæ causam est, ne Monachis præferentur Abbates extranei, ut magis Thomæ Monachatum pro viribus colligat, & confirmet.

Utriusque Scriptoris verba sub oculos primum ponenda sunt: invicem præterea conferenda, ac nonnullis detergenda mendis: quo demum fiat, rem hanc singularem & observatione dignam, prout eam præci narrat Historici, minime Thomæ Monachatum confirmare, sed evertere. Thomas de Cantimprato Lib. I. de Apibus capite xx. §. ix. editionis Georgii Colvenerii, Duaci 1627. hæc habet: „Cum quidam Nobilis adolescentens de Romanorum partibus, Thomas de Aquino nomine, hæc & his similia (de quibus antea differuerat) vereretur, intravit Ordinem Fratrum Prædicatorum Bononiæ. Qui cum Domino ibidem in magno fervore & alacritate spiritus deserviret, invidi Diabolus, & instigavit parentes ejus, & maxime duos fratres illius potentissimos & feroces, qui obtinuerunt a Papa, ut ad Curiam per litteras Apostolicas citaretur. Qui ut comparuit, justus est habitum Ordinis deponere, & dignitatus Ecclesiasticis insigniri. Quod cum sperneret mira constantia, furtim a suis Fratribus raptus est, & in carcerem clam detrusus. Injurias Thomæ inlatas postmodum narrat: Fratresque tandem ab Imperatore, ne Fratrem male haberent, cohibitos. Quibus recensitis, pergit narrare: „Nec diu Satana distulit infidias adolescenti spargere. Instinctu enim Fratrum suorum carnalium, & amicorum quos habebant in Curia, per litteras Apostolicas, iterum mandatus est Frater Thomas, Venienti autem, mox a Papa præcipitur, ut regimen Abbatie Casinensis susciperet. Renuit ergo præclarissimus adolescentens, nec ordinem vel habitum suum deserere, ut illa ratione consentiret. Cui cum Papa cederet, ut in ordine, & habitu suo præfessus officio; noluit ille; & clam prolapsus a Curia fugit, & in Coloniæ Agrippinam venit. Hæc ille, qui avo Divi Thomæ vitam agebat, mortemque videtur obiisse anno circiter 1272. vel etiam postea. Hunc facit Disquisitor Episcopum suffraganeum Cameracensem: quam illi tamen dignitatem admittit Jacobus Echarus in ejusdem Elogio. Dionysius Sammarthanus Tomo III. Gallæ Christianæ, de Nicolao III. Cameracensi Episcopo agens, qui sedem illam tenuit ab anno 1234. & anno 1272. adhuc in vivis erat, hæc

habet: Sub hoc Præsule Thomas Cantimpratensis . . . consecratus sub titulo mendicatio Episcopi Lusensini, munia pastoralia & Episcopalia obivit vicæ ipsius. Rem ego in medio relinquo.

Sequitur Ptolomæus Lucensis, cujus hæc verba sunt Libro XXII. Hist. Eccl. capite XXI. non XXXIX. De carcere eductum Thomam, statim animalia sunt parata ad ipsum deducendum Romam. Inde vadit Coloniæ ad Fratrem Albertum, ubi multo tempore fuit: & ibidem existens, oblata fuit eidem Abbatia Montis Casini per Alexandrum gratia parentum, quia erant expulsi de Regno: & recusavit. Quo loco emendandum adnotat Echarus vel Ptolomæum, vel potius ejus Notarium, qui Alexandrum IV. scripsit per Innocentio IV. Pauli Langii, & Leandri Alberti verba præterea, qui sequiore ætate floruerunt, exscripseruntque Ptolomæum, & Cantimpratensem.

II. Menda plura, quibus hæc narratio scater, advertere primum liceat; quæve aut vera, aut verisimilia non sunt, aut dubia indicare. Negaverit nemo, a veritate abluere Thomam de Cantimprato, dum narrat r. Aquinatem de Romanorum partibus venisse Bononiam. 2. Dominicanam vestem Bononiæ indutum, ibidem aliquamdiu subsistisse. 3. in Curiam semel & iterum per litteras Apostolicas vocatum, eoque profectum esse. 4. Dignitatibus Ecclesiasticis a Pontifice oblati insigniri nolentem, tunc a Fratribus furtim raptum, & in carcerem detrusum. 5. e Curia demum secunda vice clam prolapsum, Coloniæ Agrippinam petiisse. Probatus nemo Vicæ Thomæ præfessus Historicus, aut Ptolomæus Lucensis, aut Guillelmus de Tocco, aut Bernardus Guidonis, aut adhibiti testes in Processu canonizationis, quidpiam simile narrat: hominiquè Brabantio longe distito, hæc narranti ex incerta fama, parcendum est.

Sed neque paria sunt & consona, imo longe diversa ac repugnantis, quæ referunt Cantimpratensis, & Ptolomæus. Scribit iste, Thomæ Coloniæ existenti Abbatiam Casinensem oblatam fuisse: narrat ille, id factum, antequam idem Thomas Coloniæ proficisceretur. Ait etiam Ptolomæus, Abbatiam eidem longe a Curia Pontificia distito per Innocentium oblatam: ait vero Cantimpratensis, Thomam in Curiam advocatum, ibidemque existentem, illam sibi oblatam respuisse. Quod semel demum contigisse, narrat alter: bis, alter.

Hæc fortasse videri cupiam poterunt totidem argumenta, quæ narratio illa de Abbatia Casinensi Thomæ oblata in dubium vocari possit, ac etiam explodi. Non is vero ego sum, qui id contendam. Ea tantum in illius facti examine mens mihi fuit, ut a fabellis adjunctis detegeretur: ipsamque Abbatiam revera Thomæ oblatam si quis putet, juxta fidem utriusque Scriptoris, per me licet. Oblationis factæ tempus, quantum ferunt probabiliores conjecturæ, inquirendum est. Quod ut præitem, præmitto partem chronographiæ gestorum Sancti Thomæ, quam Jacobus Echarus, diligentissime synchronis Scriptoribus collatis, digessit. Sic habet ille in Vita, vel elogio ipsius: „Anno 1243. Ordinem Prædicatorum Neapoli in Sancti Dominici Cœnobio amplectitur. . . Aquapendentem ex itinere transiens, a germanis suis ibidem in aula & exercitu Frederici Imperatoris militantibus, e manibus Sociorum vi eripitur: quæ circa Septembrem videntur evenisse (qua de re capite postremo agendum mihi est.) Anno 1244. postquam per annum circiter detentus esset, per fenestram dimissus ac fodalibus restitutus est. Neapolim, indeque Romam absque dilatione ad Magistrum

Ordinis adducitur. Is erat Venerabilis Frater Joannes Theutonicus, qui juvenem Thomam tenerime amplexus, Parisios, ac vix ibi commoratus, recta Colonia mense secum ducit. Anno 1245. Albertus Magnus, Parisiis ad legendas sententias assignatur: & cum eo juvenis Thomas ad studium illud mittitur. Ambo eo venisse videntur circa Octobrem, quo fieri solebat scholarum instauratione. Anno 1248. finito cursu, ambo, Magister, & Discipulus, Colonia reverfi sunt: cumque ibi eo anno in Comitibus Ordinibus Parisiis ad Pentecostem 7. Junii coactis, studium generale positum fuisset; in eo deinceps Albertus Regentis functus est officio, Thomas vero sub eo juxta leges Ordinis Philosophiam, Scripturam Sacram, Sententias interpretatus est ac legit. Anno 1252. vel Coloniae iisdem defudans lectionibus persistit: vel si quis Parisios ivisse contendat, facras litteras interpretaturus, ut Lector Bibliacus (sic enim vocabant, qui primus erat ad Magistrum gradus) versus Septembrem missus fuerit. Certum enim est, anno tantum 1253. in instauratione Scholarum versus Octobrem, lectionem Sententiarum Parisiis ut Baccalaureum aggressum esse.

Porro oblatam Thomæ Abbatiam Casinensem anno 1243. Patribus Predicatoribus recenter adjuncto, Disquisitori certum est: in eandemque sententiam olim ego ferebar. Re maturius discussa, id eo tempore factum pernego. Ptolomæus Lucensis oblatam narrat Abbatiam Thomæ, gratia parentum, quia erant expulsi de Regno: atqui illo anno 1243. & sequentibus ad annum usque 1245. gratos Imperatori Frederico fuisse Comes Aquini, in ejusque aula versatos esse, proque ipso militasse, probatissimis testibus adductis, Richardo de S. Germano, Guillelmo de Tocco, Ptolomæo Lucensi, demonstravimus capite superiore num. 2. in calce. Ad hæc, Abbatiam Casinensem anno 1239. Mense Februarii, teste Richardo de S. Germano, regendam suscepit Stephanus de Curvario: rexitque illam annis novem, ut habet Series mss. Abbatum Casinensium, qua utitur Erasmus Gattula in sua Abbatia Casinensis Historia Parte II. num. 2. Regimen ergo ejusdem Stephani de Curvario ad annum usque 1248. circiter protenditur: adeoque prædictam Abbatiam anno 1243. aut insequente Thomæ offerre, & conferre valuisse Innocentium Pontificem, non ita facile dictu. Notum vero illud est comperitque, germanos Thomæ Fratres illos fuisse, qui eidem captivo detento, multaque exagitato injuriis, Dominicana veste in frusta concisa, Monachales vestes induendas obtulere, teste Bartholomæo de Capua: quæ fortasse res ita spargi potuit in vulgus, ut etiam diceretur Abbatiam Casinensem eidem obulisse summus Pontifex. Ita vero vulgari fama delatam rem, diligentiore neglecta perquisitione, scriptis mandavit Thomas de Cantimprato.

Ab Imperatore diris devoto in Concilio Lugdunensi, quod anno 1245. celebratum est, inter plures, qui partibus ejus adhaererant, Aquini Comitibus descere. Hinc ille percitus ira, Reginaldum Thomæ nostri fratrem interfecit, Ptolomæo Lucensi teste, Comitumque Aquini perillustrem progeniem expulsi Regno. Interim Thomas Parisiis degebat sub disciplina Alberti Magni, remigravitque Colonia Agrippinam anno 1248. cum eodem suo Magistro, ubi subsistit aliquot annos. Hoc tempore Coloniae existentem Thomæ, laudato Ptolomæo si credimus, oblata fuit Abbatia Montis Casini per Innocentium Papam, gratia paren-

tum, quia erant expulsi de Regno. Haud sane repugnant Monumenta Casinensia. Post Abbatem Stephanum de Curvario, qui anno 1248. fato concessit mortalitatem, densissimæ deinceps tenebrae offunduntur (inquit Gattula loco citato) ac incerta ad Abbatum electionem, finemque cognoscendum via est. Post ipsum Stephanum numerat Nicolaum Abbatem Casinensem: cujus tamen nulla mentio in memorata manuscripta serie. Nomen ejusdem occurrit in Tabulis anno 1251. confectis: diciturque Dominus Nicolaus Dei gratia venerabilis Casinensis electus: sed quando electus, ait Gattula, vel quousque rexit, incertum. Quidam ergo conjici potest, hoc tempore Casinensem Abbatiam ab Innocentio Pontifice, gratia parentum, fuisse Thomæ oblatam?

III. Sua igitur, si lubet, huic historię veritas conset; at ejusdem adnotatorem primum, Thomam de Cantimprato, causæ qua de ago, adversum non habeo, sed potius patronum discretissimum. Illud imprimis animadverto, quod ait: Quemdam Nobilem adolescentem de Romanorum partibus Bononiam venisse, ut vestem Dominicam indueret: quæ verba non nisi juvenem seculararem sub oculos ponunt. Quid est illud alterum: Thomam in Curiam vocatum, justum esse, ut habitum Ordinis deponeret, & dignitatibus Ecclesiasticis insigniretur; nisi tunc illum minime fuisse Monachum professum, sed Dominicam Novitium dumtaxat, qui veste Ordinis deposita, dignitatibus Ecclesiasticis quibuscumque posset insigniri? Quid est etiam silentium illud pristinæ Monachalis professionis, qua Thomæ persuadere potuisset Pontifex, ut libentius ac facilius regimen Abbatia Casinensis adsumeret; nisi eloquentissimum argumentum, ejus Monachatus abautivum? Quid demum illud est: Thomæ nec Ordinem, nec habitum suum deserere volentem, facultatem fecisse Pontificem, ut in Ordine ac habitu suo præficeret officio; nisi alterius Ordinis & instituti nunquam illum fuisse, nec cucullum Monasticum gestasse umquam?

Sed inquit Disquisitor: Thomæ fratres, & Innocentium Pontificem latere non potuisse, quam districte, quam sancte paucis ante annis Innocentius III. & Gregorius IX. vetissimum, ne Monachis proficerentur Abbates extranei, quique expresse hoc ipso in Ordine professi non essent. Ac certe ita sacerdotem & inertem dixerit nemo Innocentium, ut que certissime noverat proximorum Decessorum statuta, revellere vellet. Citat vero Caput, Cum ad nostrum, & Caput, Cum in Magistrum, de Electione. Hæc Romanorum Pontificum rescripta diligentius hoc loco expendere non vacat; quorum alterum electionem Abbatis irritam facit, qui incontinenti Monachus effectus, & Abbas electus a Monachis fuerat, rudis adhuc minimeque instructus in regula Monachali: alterum eligi vetat in Abbates, qui ordinem regularem professi non sunt. An vero denegatam Monachis facultatem, adimere sibi pro rerum & temporum circumstantiis voluerint Pontifices? Adde, Casinensem Abbatiam in casu nostro erigi in Commendam potuisse: quamquam non me laet, quod adnotat Thomam in Parte II. Libro III. capite XIX. tertio decimo seculo Abbatiarum commendas haud facile occurrere. Nihilominus ex Ptolomæo Lucensi Libro XXII. Hist. Eccles. capite XXXIX. patet: Clementem quartum Summum Pontificem, qui obit anno 1268. voluisse conferre Thomæ nostro de Aquino Archiepiscopatum Neapolitanum, & etiam Abbatiam S. Petri ad aram dicti loci. Illam fuisse Ordinis S. Augustini extra muros Neapolitanos, adnotat Lubinus in Notitia Abbatiarum Italiz.

Utut

Ut hæc se habeant, de facto rone est, quod narrat Cantimpratanus, & Ptolomæus Lucensis: neque Juribus & Pontificum statutis confici potest, factum non fuisse quod factum fuit. Negari enim nullo modo potest, si vera narraverint illi, Abbatem extraneum præfectum Casinensibus fuisse ab Innocentio Pontifice, dum illis præficiendum curavit Thomam, ea servata conditione, ut in ordine, & habitu suo, scilicet Dominicano, præficeret officio. Nec scordem vero, nec inertem Innocentium dixerim, qui Decessorum statuta, quæ noverat, revellere poterat, ac forte voluit, ut Comitibus Aquinatibus, optime tunc de Apostolica Sede meritis gratificaretur; Thomam, licet Dominicanum, Abbatem Casinensem præficiendo, eo faae tempore quo insigne Monasterium illud maxime bellis quasatum erat, ac in arcem &munitionem converterit, neque multum eas ob causas regulari disciplina florebant: id affere sperans, ut illud sub tanti Viri præfectura, cujus familia potens erat, in pristinum decorem redigeretur. Jam vero patet, ex hæc Abbatia Casinensis oblatione nil extendi posse, quod Monachatum Thomæ faadeat: quem potius everti Cantimpratani testimonio, qui primus rem hanc litteris mandavit, comperitissimum est.

CAPUT VII.

Jacetti Malaspina, Monastico Instituto addicentis Thomam, pluribus elevatur, eliditurque testimonium. Acta translationis Corporis ejus expendantur, quæ Monachatum ejusdem evocant.

I. Addeum Malaspinari adnotat Disquisitor capite VII. talem Benedictini Monachus Doctorem Angelici, non adeo in serendo testimonio diminutum, ut abundet potius, abestque in extremum nulla ratione ferendum. Illi enim ut, que adeo persuasum erat (de novo teste, quem sapius Sacchetto appellat, loqui pergit) Thomam Aquinatem Monasticum Benedictinorum institutum initio professum esse, ac tum ad Predicatores conivolasse, ut cum Florentiæ degens, ex publica fama inaudivisset, Thomam Aquinatem, summum illum Theologorum apicem sub vira finem ad Cisterciense Fosse-novæ Monasterium diversisse, illicque inter Monachorum brachia extremum clausisse diem; externa illa rerum specie delusus, existimaverit ad pristinum institutum mortis proximam rediisse, resumptoque cucullo Monachum obivisse.

Jachettum ipsum inducit hæc patrio idiomate pronunciantem capite ccxxxii. Auclarii ad Historiam Ricordani Malaspinae patris sui, ad annum 1286. (1284.) ubi Caroli primi Andegavenis Sicilia Regis res gestas exequitur. Dal (del) detto Carlo rimase Carlo secondo, Principe (Prezze) Conte di Salerno: ed ebbe (ed era bello del corpo e grazioso, ed ebbe) pitte figliuoli della sua donna, figliuola ereda (e reda) del Re di Ungheria. Il primo suo figliuolo fu Carlo Martello, che poi fu Re d'Ungheria: il secondo fu Lodovico, che si fece frate della povera vita, e mai entrò (e mai non entrò) avvegna che l'abbino appropriato a loro: siccome i Frati Predicatori Tomaso d'Aquino, il quale innanzi che fosse Frate Predicatore, fu Monaco: e quando venne a morte, ch'è infirmo in cammino (a cammino) rimorando la coscienza, si fece portare alla Badia, donde era (d'on) era) prima stato Monaco, e Monaco mori, e Monachi anno il corpo suo. Veram lectionem restituat habes ex Operis editione, quæ prolat apud Muratorum Tom. VI. Serry Tom. VI.

mo VIII. Scriptorum Italiz. Textum vero sicut latine reddit ipse Disquisitor: Carlo predicto superstes fuit Carolus secundus, Salerni Princeps. Is ex Hungarie Regis filia & herede, quam uxorem habuit, complures suscipuit filios: quorum primus fuit Carolus Martellus, postea Rex Hungarie: alter Ludovicus, qui Fratrum pauperum, seu Minorum, instituto se devotit: eorum tamen claustra nunquam ingressus est, quavis illum idem sibi vindicent: quemadmodum & Predicatores Thomam Aquinatem, qui antequam ad Predicatores transferret, Monachus fuerat; & ad extremum cum in itinere morbo premeretur, religione tactus, in Cenobium ubi prius Monachus existerat, portari se voluit, ibique Monachus mortuus est: ejusque corpus obtinent Monachi.

Hæc Jachetti verba monet Disquisitor, non extare in exemplaribus cæcis, quæ Florentia primum anno 1568. prodierunt. Non extant (ad do ego) neque in eisdem loci alia editione, quæ anno 1718. iterum curata est. Extant nihilominus (pergit ille) in pervetusto Codice Ms. olim apud Petrum Junium Ugolini filium Patriarium Florentinum adservato: quod restatur (inquit) illustrissimus Presul Angelus de Nuce Archiepiscopus Rosanensis in Opusculo ea de re adnotato. Patet quam maxime, Differentationem Angeli de Nuce desloratam a Disquisitore fuisse. Eadem verba addit Erasmus Gattula in Adendis, legi in Codicibus mss. duobus Bibliothecæ Stroziana, certiorum se reddentibus amicis Florentinis: quavis tamen iis verbis (verba sunt ejus animadvertione digna) usus non sim, nec sim usurus, ad meam sententiam probandam. Que denique verba ex citato Codice Ms. penes Marchionem Giugni Civem Florentinum suppleta leguntur in Editione, quæ inter Scriptores Italiz a Doctissimo Muratorio collectos habetur Tomo VIII.

Monachatum Thomæ hoc adferri monumento, quod allatum est, negari nequit: fides ejus expendentia, an factis idonea ad illum persuadendum? Id ego inficias eo. Ac primum abs re non erit, si admonero, Joannem Villanum, qui res ejusdem avi in sua Historia, iisdem pene verbis Malaspinarum Ricordani, & Jachetti, solet recensere, nullam ibi mentionem Thomæ ejusque Monachatus ingerere, quamquam & ipsum liberiore calamo scripsisse, nemo nescit. En illius verba Libro VII. capite xciv. in editionibus Veneta 1537. Florentina & Mediolanensi in Muratoriana Scriptorum Italiz Collectione Tomo XIII. Del detto Carlo non rimase altra vada, che Carlo secondo Prezze di Salerno, di cui avemo fatto menzione: e questo Prezze Carlo era del corpo bellissimo, grazioso, & largo... & hebbe pitte figliuoli della Prezza sua moglie, figliuola & vada del Re d'Ungheria. Il primo fu Carlo Martello, che fu poi Re d'Ungheria; il secondo suo Luis, che si vendeo Frate Minore, e poi fu Vescovo di Tholosa &c. Ubi Malaspinae irrisio de Fratibus Minoribus, Ludovicum Caroli secundi Filium sibi vultu suum vendicantibus, omisa est, nullaque ingesta mentio Thomæ Aquinatis, ejusque Monachatus: quod est forte iudicio, rem hanc uti manifestam bellam ab eodem Villano rejectam fuisse, ac silentio preffam. Eo vel maxime quod Aquinatis apothecium narrans ad annum 1323. Libro IX. capite ccxxii. inter cæles relatum fuisse scribit Fratrem Thomam de Aquino Ordinis Sancti Dominici, Philosophia ac Theologiae Magistrum, eximium in omni scientiarum genere visum; additque, quod fama ferebat, veneno sublatum sanctissimum virum, quod propinandum iusserit Carolus primus Sicilia Rex; cæteris prætermisissis commentis, quæ scripto reliquerat Malaspina. N n 2. Hi-

Historiam suam perduxit Joannes Villanus ad annum usque 1348.

At ipsa Jachetti narratio penitus expendenda est, in qua tot ille peccata patravit, ut mirum esset, Thomæ Monachatum vere narrasse. Ait r. Fratres Minores *vindicare sibi* voluisse Ludovicum Caroli secundi filium Tolosanum Episcopum; sibi ipsi apertissime repugnans, cum etiam narret, se Fratrum pauperum seu Minorum instituto devovisse Ludovicum, *si feco Frate della povera vita*: unde Ludovicum Minorum instituto additum cur sibi non vindicarent Fratres Minores? Bollandi Continuatores adi ad diem 19. Augusti, compertumque erit, non prius ipsam in insulas Tolofanas concessisse, quam in verba regulamque S. Francisci solemnem professione, annuente Joanne XXII summo Pontifice, jurasset. Hæc vero factis superque sunt, ut illum sibi veluti suum vindicent Fratres Minores.

Quid est illud, quod etiam Fratres Prædicatores sibi Thomam Aquinatem vindicaverint, *P abbinio appropriato a loro*? Juvenem ergo, quem propheta vaticinia, nondum natum, prænuunciaverant, quod *erit Frater Ordinis Prædicatorum*; qui Neapoli Dominicanam vestem induit, ac Ordini nomen dedit, ipsum excipiente Thoma Agni de Lentino Cœnobii S. Dominici Priore; qui per annum & amplius plurimas tulit a parentibus ac fratribus inlatas injurias, ut Dominicanam deposita veste aut Monachalem aut sæcularem indueret, hisque recusatis constantissime retinuit illam; qui duos & triginta annos Prædicatorum ordinem professus est, illustravitque sanctis moribus, ac litteris, editisque operibus: hunc juvenem, inquam, virumque eximum sibi vindicaverunt, si Malaspina fides, suumque fecerunt, cum suis non esset, nimium audaces Fratres Prædicatores! Ne putidissimum infani capitis commentum.

Sed ipsum, ait, cum in itinere morbo premeretur, portari se voluisse in Monachorum Cœnobium, *ubi primum Monachus degerat*. Nemo vero nescit, non Casini, ubi moribus & litteris imbutus fuit, sed Fosse-novæ apud Cistercienses hospitio exceptum fuisse. Addit etiam, *conscientia stimulis tactum*, voluisse in Cœnobio Monachorum diem ultimum claudere: ac si conscientia stimulis agi debuisset is qui etiam Monachus antea exstitisset, rite tamen & ex juris formulis, ac aliorum prævio exemplo, Ordinem religionis commutasse dicendus esset. At verissimas alias causas aperit Ptolomæus Lucensis, quæ Thomam impulerunt, ut cum morbo premeretur, ad Monachos Fosse-novæ declinaret: quod nempe nullus præsto erat vicinis in locis Conventus Ordinis Prædicatorum: ejusque consanguinei Domini de Ceccano in eo Monachorum Cisterciensium Cœnobio conveniens hospitium impetrarunt, ubi vir Sanctissimus sanitati suæ consulere. In Annalibus, quæ prostant Tomo XXV. Biblioth. Patrum, & Tomo XI. inter Scriptores Italia, hæc habentur ad annum 1274. Thomas *recedens de Neapoli, & veniens in Campaniam in domo Dominorum de Ceccano apud Dominum Annibaldum, qui nepem suam habebat in uxorem, graviter infirmatur continuo. Unde coactus agitudine, & ad instantiam dictæ suæ nepis declinavit ad Monasterium Fosse-novæ, ibidemque mortuus est. Paria sunt, quæ ab eodem scripta legimus Libro XXIII. Hist. Eccl. capite VIII. Veniens in Campaniam, inquit, *ibidem graviter infirmatur. Et quia prope locum illum nullus Conventus Ordinis Prædicatorum habebatur, declinavit ad unam solemnem Abbatiam, quæ dicitur Fosse-novæ, & quæ Ordinis erat Cisterciensis, in qua sui consanguinei Domini de Ceccano**

*erant patroni. Quis ergo tam bonus, qui Jachetto credat, uno verbo narranti, aut potius occasione, ut poterat, arrepta, effutienti, Thomam conscientia stimulis actum ad Monachos accessisse, ut Monachus tandem e vita migraret? Illos imo nunquam vidisset, neque ad eos declinare cogitasset, nisi necessitate compulsus, ut testatur Ptolomæus, quod in vicinia nullum erat, ubi exciperetur, Fratrum sui Ordinis Monasterium; & consanguineorum adstrictus humanitate, qui locum eidem in Monachorum Cœnobio procuraverant, eo adire constituisset, ut viribus tandem restitit iter suum ad Concilium Lugdunense proficeretur. Haud vero incicias verim, & ipsum Thomam in eo potius Cœnobio, quam in sæculari consanguineorum domo, sanitati consulere voluisse; nullis attamen conscientia stimulis actum, sed pro Viri religiosissimi indole, religiosas domos sæcularibus præferentis. Id sancte attestatum habeo a Nicolao Abbate Monasterii Fosse-novæ, qui in Processu Canonizationis capite II. num. 8. sic ait: *Dum dictus F. Thomas vocatus iret ad Concilium Lugdunense, & transitum faceret per Campaniam, infirmatus fuit in Castro Magentia scusdam Domini Annibaldi de Ceccano; & cum ipsa infirmitate gravaretur, dixit (ut audivi a pluribus:) Si Dominus voluerit me visitare, melius est quod reperiar in domo Religiosorum, quam in domibus secularium: & ex tunc causa devotionis fecit se portari ad Monasterium Fosse-novæ. Quod ergo ex devotione, ex pietate factum fuit, ut testis in processu Canonizationis juratus perhibet; ex conscientia stimulis factum narrat in sua Historia Florentinus Malaspina.**

Pergit ultra, & ait, Thomam obiisse Monachum: quo nihil magis a veritate abhorret, cum spiritu emiserit inter Fratrum suorum Dominicanorum instituti, quos in via comites habebat, amplexus; factaque apud Fratrum Raynaldum de Priverno ejusdem Ordinis generali exomologesi. Hæc sane omnia, quæ Jachetti commenta evertunt, narrat disertissime Guillelmus de Tocco, his verbis: *Post hoc cum predictus Doctor fuisset aliquibus remediis confortatus, ut videretur sibi quod posset iter incipere prosequi versus Romanam; juxta Monasterium Fosse-novæ transiens, invitatus ab Abbate & Monachis, volens ibi aliquibus diebus vires resumere, predictum Monasterium est ingressus (ejus etiam Nepte agente, Ptolomæo teste, ut Monachos benevolos hospites experiretur.) Qui cum primo ingressus fuisset Ecclesiam, claustrum postea intravit. . . & tactus spiritu prophetia dixit pluribus audientibus Monachis & sui Ordinis Fratribus, & præcipue suo Socio, qui consueverat similia revelare: Frater Raynaldus, hæc requies mea &c. Post quod propheticum dictum, de suo obitu Fratribus sui Ordinis præcipue lamentantibus, positus fuit Doctor in Camera Abbatis &c. Post devotum sepulture officium, Frater Raynaldus de Piperno . . . prædicavit, & dixit: Ego istius Doctoris totius vite exterioris & conscientia testis sum, & frequenter audivi meritum ejus tam evidens, & nunc generalem ejus confessionem audivi &c. Effutientem quis modo ferat Jachetum Malaspinam, Monachum obiisse Thomam in Cœnobio Fosse-novæ?*

Fabulam claudit ille: *ejusque fato functi, inquit, corpus obtinent Monachi; ac si ejusdem, veluti cujusdam Monachi, sibi corpus deberi, contendissent Cistercienses. Sibi jus istud, quod Malaspina commentus est, non arrogarunt Fossanovani: factumque sine dubio vi & violentia consanguineorum Thomæ Dominorum de Ceccano, ne corpus ejus transferrent Fratres Prædicatores. Rem testatam reliquit Ptolomæus in Annalibus loco citato: Voluerunt autem Fra-*

tres ejus, inquit, corpus transferre: sed Domina (Neptis Thomæ) non permisit pro dilectione & devotione, quam ad ipsum gerebat: sique fecit occultari per Monachos. Paria scribit in Historia Ecclesiastica: Tradunt autem Historie, quod ibidem multis miraculis claruit, & multis indicis Deus suam sanctitatem ostendit: propter quam causam sui Consanguinei, cum sint potentiores de Campania, non permisissent, corpus inde transferri: imo cum audissent, quod Fratres sui Ordinis hoc attentabant, corpus ipsius occultaverunt.

Tot ergo deturpatam mendacis putidisque commentis Jachetti sententiam, quæ non nisi Scriptoris, Thomæ gesta, quæ scirent omnes, supine ignorantis, factus esse potest; mirum est allegari a Disquisitore potuisse, ut præconceptæ opinionioni de Monachatu Thomæ fidem conciliaret. Prudentior Erasmus Gattula professus est: *Is Jachetti verbis, inquit, usus non sum, nec sum usus ad meam sententiam probandam. Vel ex ipsa tamen tot mendis scatente Jachetti narratione id saltem colligendum esse, ait Disquisitor: Monachatum Thomæ tunc temporis compertissimum fuisse; de quo propterea ansam ille arripuit cætera confingendi.*

Undenam Disquisitor habet, tunc temporis compertissimum fuisse Monachatum Thomæ, silentibus synchronis aliis probatissimis Scripturibus, imo apertissime abuentibus? Nonne potius Jachettus, qui vel pro genio finxit, vel ignoranter scripsit, Monachum obiisse Thomam, actumque conscientia stimulis portari se voluisse ad Cœnobium Fosse-novæ, in eodemque Cœnobio posuisse tirocinium Monachatus, aut pari licentia finxerit, aut pari ignorantia scripserit, Monachum ipsum fuisse? *Id nemo dixerit, reponit ille, nisi qui Jachettum mortalium imprudentissimum simul, & impudentissimum finxerit. Summam imprudentiam, repono ego, & impudentiam quis non agnoscat in eo, qui paucis in verbis tot alia mendacia de Ludovico Tolofano & Fratribus Minoribus, de Divo Thoma & Fratribus Prædicatoribus liberrime vendidit? Una illa, si placeat, excusatio fuerit: Scriptori ad calumniam pronofucum fecisse habitam a puerulo Thoma in Cœnobio Casinensi educationem; parentum ejus consilium quod ferebatur, ut Monachus evaderet; adhibitas quoque violentias ut vestem Dominicanam exueret, adsumeretque Monachales vestes; ac fortasse Casinensem Abbatiam demum oblatam eidem a Romano Pontifice. Hæc Jachettum, cum minus attente expendere, fortasse deceperint, ac permoverint, ut Monachum Thomam faceret.*

II. At hunc denique Monachatum evidentissime evertunt, quotquot acta sunt in causa translationis corporis S. Thomæ, quæ anno 1368. conrigit. Historiam scripsit Raymundus Hugonis, illius ætatis auctor: eamque ex pervetusto Ms. autographo, apud Fratres Prædicatores Tolofæ adservato, ediderunt Continuatores Bollandi ad diem 7. Martii. Nemo nescit namque, Monachos Cistercienses Fossanovanos, apud quos diem ultimum clausit maximus Ecclesiæ Doctor, ejusque corpus conditum fuit, de sacris Ispanis sibi postmodum ereptis graviter doluisse, ac provocatione ad Romanum Pontificem interposita, nihil non præterisse, ut illa sibi restituerentur. Si Monasticam institutionem aliquando Thomas amplexus esset; si conscientia stimulis actus, ad Monachos cum morbo premeretur, portari se voluisset, ut extremam saltem vitæ periodum apud Monachos viveret; si Monachus tandem velut ejurato Prædicatorum ordine, mortem obiit: summa sine dubio ratio Cisterciensibus præbit fuisset, quam adversus Fratres Prædicatores opponerent, ac Ur-

bano V. Pontifici Maximo ad causæ defensionem adducerent, ut pro votis tandem, quod optabant felicissime consequerentur. Sed hoc momento quo nihil aptius, nihil solidius nihil gravius adferri umquam potuisset, causam suam non perorarunt illi; nullam injecere mentionem de Monachatu Divi Thomæ, sive pueruli, sive adolescentis, sive morbo extremo laborantis; unaque furti accusatione intentata, sibi sacrum thesaurum ablatum restitui postularunt.

En verba, en causæ argumenta omnia, quæ, laudato Raymundo referente capite II. nominæ Abbatis, Jacobus de Sena, *Advocatus Fiscalis*, coram Pontifice Romano, apud quem lis agebatur, brevi sententia proposuit, inquit: *quod Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, Elias nomine, intraverat Conventum Fosse-novæ, & fregerat Campanilo; & commiserat sacrilegium, & fecerat furtum. Furtum etiam sacri depositi, nihilque præterea aliud, Eliæ objecit Urbanus V. qui Monachis favebat: Tu furatus es, inquit, Corpus Sancti Thomæ? Cui summa fidentia respondit ille: Sanctissime Pater, caro & frater noster est; nempe ut subjicit Historicus, voluit dicere quod quis rem propriam non furatur. Quis credat, meliori mente, meliorique consilio non acturos fuisset causam suam Fossanovanos, ex Monachatu S. Thomæ argumento desumpto, si Monachum eundem & primis & postremis vitæ annis scivissent? Cur Monachum Thomam non adserit Pontifex, ejusque Monachatum non opponit, ut ex parte saltem Eliæ responsum elideret, qui sancti Doctoris corpus, tamquam rem propriam, sibi ac Ordini Prædicatorum restitutum, ne Monachis extraneis reddere cogeret, jura omnia sibi favere declamans, obtestabatur?*

Neque semel tam altum mirabileque silentium in Pontifice, in Monachis de Monachatu Thomæ admirari subit; cum ejusdem mentio nulla injecta umquam fuerit, tametsi ferret occasio, ac ipsius ratio causæ postulare videretur. Prædicatorum votis parum faventem Urbanum, subiratamque respondisse illis, narrat idem Raymundus capite III. *se justitiam velle facere in hac causa. Justitiæ, aut æquitatis quædam species erat, ut corpus Thomæ, si aliquando fuisset Monachus, eoque magis si Monachus obire voluisset stimulis conscientia actus, ipsi Monachi Fossanovani, apud quos fato functus mortalitatis fuerat, servarent. At nihil hujusmodi in Pontificis mentem venit, qui factum duntaxat animo venians, Decretale illud, De laboribus quod dicitur prædonum fore restituendum, volebat observari: & Eliæ subijcitur, honores maximos a Fratribus suis Prædicatoribus Thomæ Sanctissimo exhibendos esse, id unum respondit: Nunquid non Ordo meus S. Benedicti est potentissimus, & Ordo tuus quasi nullus ad honorandum dictum Sanctum? Melius ergo videtur, quod apud Monachos nostros ipse remaneat. Quam apte Monachatum memorasset Pontifex, quem juvenis Thomas aliquando professus fuisset: sed qui nullus erat, non objecerunt Monachatum ejus Cisterciensibus Fossanovani, sibi corpus ereptum restitui postulantes; nec objecit Summus Pontifex, qui Monachis primum favebat subiratamque fuerat Fratribus Prædicatoribus.*

CAPUT VIII.

Additamenti ad verum Casinense Martyrologium fides non est idonea, qua Monachus Thomae suaderi queat. Nonnulla, qua feruntur ejusdem Monachatus indicia, levitatis & falsi convicta, ac depulsa.

I. **N**imium dolet Disquisitor, clarissimi Casinensis Monasterii Tabulas, quippe quod Frederici secundi Imperatoris ira ac furore expulsum illud fuit, perturbatum, ac pene devastatum, ad nos usque non pervenisse, qua maxime patefaceret, qua fuerit vitæ conditione Thomas quamdiu Casini subsistit, quodve illic tenuerit institutum. *Equid aliud vero (ait ille capite v. num. 1.) ultra sperandum in rebus alia caligine mersis, & forte non sine industria occultatis? Mirum est, Monachatum Thomæ inter alta caligine mersis res numerari, quem gravissimis argumentis ac certis etiam demonstrationibus in apicum se tulisse, frequentius gloriatur Disquisitor. Age tamen, (pergit ille) & si quis inde radius emicet, excipiamus. Radium porro, quem exciperet, sibi videre emicantem visus est in aliquibus Richardi de S. Germano verbis ad annum 1239. quibus tertia Monachorum exclusio refertur de Monasterio Casinensi. Locum expendimus capite v. num. 2. quem mala fide interpolatum demonstravimus: ipsamque præterea interpolationem nihil exhibere omnino, quod Monachatu Divi Thomæ faveat, ostendimus.*

At exstat etiamnum hodie (inquit) Casini optime nota documentum anni circiter 1380. quod Virum sanctum ex Benedictino Instituto ad Dominicatum transiisse disertissime notat. Jam ergo dolorem suum cohibere Disquisitor debuisset in Tabulis Casinensibus expilatis, deque rebus propterea alta caligine mersis, cum vel uno documento optime notæ, quod etiamnum hodie adfervatur, Monachatus Thomæ disertissime notetur. Illud est, quod Joannes Mabillonius in Museo Italico publici juris facto anno 1687. memorat ac in lucem profert Parte I. pag. 123. „ Ex Martyrologio veteri discimus, inquit, Thomam Aquinatem Casini Monachum fuisse, antequam ad Dominicorum Religionem convolveret. Ita enim de eo Nonis Martii, secunda quidem manu, sed ante annos 300. (scilicet circa annum Christi 1380.) adscriptum legitur: Nonis Martii, apud Fossam-Novam, Natalis S. Thomæ Confessoris, viri eruditissimi, qui vivens de Aquino, primo Casinensis Monachus factus, postmodum in Ordine Beati Dominici Predicator effectus, sua multiplici & fructuosa doctrina illuminavit vultu de Ecclesiam sanctam Dei. „ Quis contra mutire (Disquisitor clamat) quis hincere audeat?

Cur vero hincere non liceat contra Monachum, eidemque fidem denegare, qui sæculo integro, ipso adnotante Mabillonio, ab obitu Thomæ, qui anno 1274. accidit, interpolatam vetustum Martyrologium, sæculo undecimo scriptum, si Erasmo Gattula credimus? Sed vel ea ætas a Mabillonio constituta satis scriptori (verba sunt Disquisitoris capite vi. citato num. 3.) conciliat auctoritatis, ut in facto de quo nunc queritur, fidem integram faciat: cum eo in loco scripserit ille: ubi ex publicis Tabulis rescire facile potuit, qua fuerit Thomæ fortuna, Casini dum degeret adolescentens. Publicas Monachatus Thomæ tabulas extitisse Casini anno circiter 1380. quo Monachus ille scribebat, adferit modo Disquisitor, qui paulo antea dole-

bat periisse illas in expilatione Cœnobii Casinensis, qua contigit Frederico II. Imperatore in Religiosissimos Monachos furente, anno scilicet 1239. ac deinceps usque annum 1250. quo mortem obiit ille. At vetustiora quæ lustrare potuerit monumenta bonus ille Monachus, si quæ supersunt, & ad nos pervenerunt, ab Auctoris conferipta, qui Thomam viderunt, & cum eo versati sunt, aut eidem ætate proximi fuerunt, oppositum tradunt manifeste. Ptolomæum Lucensem intelligo, & Guillelmum de Tocco, & Bartholomæum de Capua, Logothetam Regni Siciliae, & Thomam Cantimpratensem, quos Monachatum Thomæ pluribus evertere, offensum est. Adde testes in Processu Canonizationis vocatos & juratos, qui plurimi sunt, non ex Ordine Predicatorum duntaxat, sed Monachos, & laicos; qui cum de Thomæ gestis testimonium perhibeant, ejusque vitæ circumstantias, quocumque modo noverint eas, etiam minutissimas patefaciant, Monachatum ejus aut alto silentio premunt, aut certe profligant. Quæ hæcenus differuimus, recole & expendite.

*Fuerit ergo tam bonus Joannes Mabillonius, cui tantum debet litteraria Respublica, quantum vix alteri; qui prædicti Additamenti ad Casinense Martyrologium allegata fide addiscendum proponit in Museo Italico: Thomam Aquinatem Casini Monachum fuisse, antequam ad Dominicorum Religionem convolveret? Refert ea Vir doctissimus, quæ prædicto in Additamento legatur: quorum tamen se vadem ipsum dare, haud puto. Rem offero præterea animadversione dignam. Thomas dicitur in illa marginali adnotatione, primo Casinensis Monachus factus: indequæ addiscendum scribit Mabillonius, Thomam Aquinatem Casini Monachum fuisse; quæ sine dubio verba, in obvio proprioque sensu accepta, Monachatum exhibent, quem solemnem emissio voto Casini professus fuerit, aut certe ratum renovato voto habuerit Sanctus Thomas. At probe fenserat Mabillonius, nemini fore Monachatum Divi Thomæ persuadendum: unde proprio marginalis illius notæ relicto sensu maluit eam cautior effectus intelligere de sola Thomæ inter Monachos educatione, ejusque puerili Divo Benedicto a parentibus facta oblatione, in Præfatione Partis primæ ad Sæculum sextum Benedictinum, quod Parisiis anno 1701. publicam lucem vidit. Verba ejus hæc sunt num. 36. *Attamen pueros in Casinensi Monasterio seculo XIII. educatos fuisse, probat exemplum S. Thomæ Aquinatis, quem a puero Monasticum illic habitum induisse, sacri ejusdem loci Martyrologium testatur. Sed neque hanc pueri Thomæ educationem Casini in habitu Monastico verisimilem esse, latiore jam calamo ostendimus capite III. Aut ergo Thomam Auctorem Additamenti ad Casinense Martyrologium, Monachum dixit, hoc est, in eo Cœnobio nutritum, moribus & litteris a Monachis informatum: aut minus prudens simplicem illam Thomæ educationem, quæ cuique notissima erat, ut inde Casinatum gloriam quodammodo auget, pro vero oblationis rita vendidit, accepitque pro Monastica professione.**

II. Externa quædam hujuscæ demum Monachatus profert capite VII. num. 4. indicia Disquisitor, quibus olim se maxime excitatum profertur, ut Benedictinum Divi Thomæ Monachatum, de industria forte a nonnullis occultatum, inquireret, veteresque chartas volendo reverteret. Evolvit scilicet, quæ sua in Dissertatione Manuscripta jam antea collegerat Angelus de Nuce, nihilque aliud præterea, quod grave aliquod afferret momentum. „ Movit me primum (inquit) quod Parisiis olim in Majori Conventu Divi Jacobi, ubi ma-

*„ ximam vitæ partem Divus Thomas exegit, a plerisque Magistris, & antiqui moris Viris acceperim, ex præca Majorum traditione haberi communiterque teneri, Doctorem Angelicum sub alba Dominicanorum veste Benedictinum schema, seu scapulare nigrum gestare solitum fuisse: quod idem a Viro Doctissimo, eodemque eximia probitatis Magistro, Julio Mercurio apud Mediolanum Fidei Quæsitore, accepisse se profertur laudatus hic sapè Vir summus Angelus de Nuce Archiepiscopus Rossanensis. „ Reposueram ego in Præfatione opusculi, quod anno 1724. typis editum est, inani profus conjectura hanc Benedictini schematis gestationem pro Monachatu asseri posse; cum pietatis causa schema illud nigrum (quod cujusque instituti religiosi hominibus licitum esset) sub veste sui Ordinis alba gestare Thomas potuerit, ut coleret maxime Sanctissimum Patriarcham Benedictum, in cujus Casinensi Cœnobio primas litteras didicit, moribusque christianis imbutus est. Hæc satis nobis fuerunt. Ampliora legimus in Compendio Opusculi nostri, quod recensitum habetur in Trevoltinis Eruditorum Diariis, anno 1725. Mensis Januarii, Articulo x. Hæc legimus gallice scripta: *Au reste on croit devoir avertir ici, qu'on a pris soin de s'informer de la vérité d'un fait allégué par le même Auteur, en faveur du Monachisme prétendu de Saint Thomas. Ce fait est, que c'est une tradition constante dans la Maison des Dominicains de la rue Saint Jacques, que le Saint Docteur, qui y a passé la plus grande partie de sa vie, avoit coutume de porter sans son habit blanc le scapulaire noir de l'Ordre de Saint Benoît. On s'est enquis du fait dans la Maison même, & il a été répondu unanimement, & en particulier par un Père très-ancien dans l'Ordre, & qui demeure dans la dite Maison depuis 52. ans, qu'on n'y avoit jamais entendu parler de cette prétendue tradition, & qu'on ne la pourroit regarder que comme un fait aussi fabuleux, que le Monachisme du Saint Thomas dans l'Ordre de Saint Benoît. Quæ latine reddita, hæc fere sunt: „ Monitis Lectores volumus, dedisse nos operam, ut de traditione gestati a Thoma sub alba Dominicanæ veste schematis Benedictini, quæ constantissima adferitur profertur, manasse ad nos usque in Majori Parisino S. Jacobi Cœnobio, certiores efficeremur. Respondimus communi voce dederunt Patres illi, maximeque testatus est vir annosus, qui ab annis duobus & quinquaginta fixam in eo Cœnobio sedem habet, hanc apud illos minime vigere traditionem, neque se ullum audivisse umquam quidpiam tale attestantem: rem ergo illam cum Divi Thomæ Benedictino Monachatu, ut inter fabulas amandari ruto posse. „ Hæc eadem habentur italice conversa, ac edita Venetiis apud Aloysium Pavinum Tomo XLII. Operis inscripti Giornale de Letterati Ultramontani.**

Aliud profert indicium Disquisitor: „ Illud me quoque, inquit, non mediocriter movit, quod plenissimam rerum Benedictinarum cognitionem in Doctore Angelico deprehenderim; singularem in Benedictinis ritibus, regulis, institutis, moribus explicandis diligentiam, qualem ne in explicandis quidem Dominicis invenias; flagrantissimum denique studium, quod Benedictina quoque, cæteris ferme neglectis, non nata modo, sed & quæ sita de industria occasione defendit, ut orare pro domo sua Cincero videatur &c. „ Exaggerationis plurimum hæc Disquisitoris verba habent, solidi nihil quod Monachatum Thomæ indicet. Pars quidem fuerit summæ peritiæ rerum omnium, qua clarebat Vir Sanctissimus, rituum notitia & regularum, & jin-

*stitutionum, atque morum ad Benedictinos Monachos attentum: at eam facillime comparare sibi poterat (quod & cuique Monastica disciplina diligenti indagatori pervium esset) ex regulæ S. Benedicti aliorumque statutorum Casinensium lectione. Plura quoque ejusdem Casinensis discipline capita didicerit ille, cum Casini degeret, tamen puerulus secularis moribus & litteris imbuendus, nobili tamen ingenio præditus expeditoque ad ea quæque observanda, in quibus Monachi exercebantur. At quænam demum tam intima, tam recondita fuerint illa Monastica instituta, quæ non nisi Monachus potuerit scire? Docet ille Opus. XVII. capite XI. & II. 2. q. CLXXXIX. art. II. ad 1. *concedi in Regula B. Benedicti probationis annum nuper ad Religionem conversis; & art. v. Beato Benedicto Nobiles dare suos filios omnipotenti Deo nutriendos cœpisse; & I. 2. q. XIII. art. v. ad 3. si Prælati aliquid impossibile præceperit, tentandum esse a subditis juxta Beatum Benedictum; & alibi, B. Benedictum mandare, quod venientibus ad Religionem non sit facilis præbendus ingressus; & quodl. I. art. xx. ad 2. Monachos ex voto obligari ad servandam regulam Beati Benedicti: sed comedere carnes non esse contra votum Monachi, nisi quando comederat ex inobedientia, vel ex contemptu. Hæc, & similia sunt, quæ a Thoma sciri non potuisse, nisi Monastica fuisset obnoxius professione, dixerit nemo prudens.**

An memorari inter Monachatus indicia debeat consuetudo & amicitia cum Benedictinis, quæ sanctissime coluit Sanctus Thomas toto vitæ suæ tempore? Hanc Erasmus Gattula loco ob oculos ponit: Tabulæque refert, quibus Bernardus Abbas anno 1270. facultatem Fratris Predicatoribus facit, Domum & Ecclesiam erigendi in oppido S. Germani, ob honorem Dei, & Ven. Viri Fratris Thomæ de Aquino ac Religiosi Viri Fratris Trojani de eodem Predicatorum Ordine, carissimorum amicorum nostrorum, promerente dilectione. Hæc si Monachatus indicia haberi debeant, Monachus olim fuerit, ut video, non solum Thomam Aquinas, sed etiam Frater Trojanus, quos carissimos amicos vocat Bernardus Abbas. Abeat hæc vero, non Monachatus indicia, sed commenta ad fucum faciendum quæ sita.

CAPUT IX.

Chronographia gestorum Sancti Thomæ, a Disquisitore aliique posita expenditur: eademque reformatur. Postremum, contra Monachatum ejusdem argumentum.

I. **S**atis in propatulo positam Monachatus Divi Thomæ fabellam puto: ac discretis etiam manifestisque documentis ostensum, Angelicum Doctorem Casini ab ineunte ætate moribus & litteris veluti nobilem puerum secularem informatum esse; pubertate nondum adepta, Neapolim ad publicas secularesque scholas a parentibus missum; ac sæculo valde iuxta tum demum, cum Dominicanorum Predicatorum Ordinem ingressus est. Rerum hujusmodi chronographiam hoc loco diligentiore opera ut expendam, suadent plura: ut res eadem suis temporibus illigatas quæque percipiat; quæ etiam posita est ab Auctore Disquisitionis historice chronographia, ut minus accurata, profligetur; ac demum novo ac postremo validissimo argumento quæ contra Monachatum Thomæ differuimus, confirmetur.

Quatuor potissimum anni sunt, qui diligentius, quo ad fieri poterit, & expendi debeat, & defini. I. annus æræ christianæ, quo Thomas Do-